atque desidie securitate resoluant. Sicut enim in diebus noe plantabant edificabant celebrabant conuiuia contrahebant matrimonia eisque studio friuole uanitatis intentis subitus superuenit interitus. Quod autem queris utrum prius hic mundus ardeat et post iudicium fiat. enim quidam maiorum sententia diffinitum est iudicium precedere et sic mundi conflagrationem subsequi. pacto quippe iudicio repente ignis erumpens tantum aeris spacium occupabit quantum aqua dum cataclismus inundabat ascendit. Quo igne ardebit terra et crassitudine aeris et sic purgabitur helementa. Sed qui de die iudicii inepta quam ad blancam scripsimus continentia testimonia separatim non nulla congessimus. tantaque eidem thematis aput expositores sacri reperiuntur eloquii. ut uix exceptare compendium nequeant quatenus ad eorum te exuberantia flumina dirigimus et omissis arentibus riuulis de fontibus ipsis bibere suadeamus. Illud tamen quod de xv signis totidem dierum diem iudicii precedentium beatum Ieronimum referre didicimus. hic eisdem uerbis inserere non superfluum iudicamus. Quibus perfecto uerbis sic non auctoritatis robur ascribimus ita nec fidem penitus denegamus. Res quoque sic ad nos peruenit hunc stilo se suppliciter insereret. ut antiquis ex hebreorum populis qui diuini iudicii tiuorum meruerunt ex eorum paginis innotescat. Signum itaque primi diei. Maria omnia in altum exaltabunt xv cubitorum super montes excelsos orbem terre non affluentia sed sicut muri equora stabunt. Signum secundi diei. Omnia equora prosternentur ad ima profundi ita ut uix queant homines obtutibus conspici. Signum iii diei. Maria omnia redigentur in antiquum statum qualiter ab exordio creata fuerant. Signum iiii diei. Belue omnes et omnia que mouentur in aquis marinis congregabuntur et leuabuntur super pelagus more contentionis inuicem mugientes et pugientes. nescientque homines quid cantent uel quid cogitent sed tantum scit deus cui seruiunt omnia officio gerendi. Hec iiii signa pelagi sunt et tria sequentia signa aeris et etheris sunt. Signum v diei. Omnia uolatilia celi concionabuntur in campis unumquodque genus in ordine suo cerie uolucres inuicem colloquentes et plorantes non gustantes non bibentes aduentum quoque iudicii timentes. Signum vi diei. Flumina ignea ad ortum solis surgent contra faciem firmamenti ad ortum concurrentia. Signum vii diei. Currentia sidera et stationaria omnia spargent ex se igneas comas qualiter in cometis apparet. Signum orbis

xv Signa dierum